

I. N. D. I. A. I.

DISPUTATIONEM PNEVMATICAM,
EX THEOLOGIA NATURALI,
DE
INFINITATE, AC
IMMENSITATE
DIVINÆ ESSENTIÆ,

AUXILIANTE DIVINA GRATIA,

SUB PRÆSIDIO

M. ABRAHAM HENRICI
DEUTSCHMANNI,
FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTI,
PUBLICE PROPONET
RESPONDENS,

ANDREAS SCHULLERUS, Coronâ-
Transylv. S S. Theol. & Philos. Stud.

D. APRIL. ANNO M. DC. XCII.

IN AUDITORIO MAJORI,

HOR. DESTIN. MATUT.

VVITTEMBERGÆ,
PrælôCHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

a. XXV. 33.

diss. A

33

DISPUTATIONES
EX THEOLOGIA NATURALI
INDEFINITATE, AC
IMMENSITATE
DIVINAE ESSENTIAE,
AUXILIANTE DIVINA GRATIA
SUB PRECEPTO

M. ABRAHAM HENRICI
DEUTSCHMANNI
FACULT. PHILOSOPH. UNCTE



PROFESSORIS
ANDREAS SCHEFFELERUS, COLONIAE
TAMPLINVS S. THEOL. & PHILOSOPH. FACULT.
ED. ABRIE WILHELM M. D. C. XCVI.
IN AUSTROGROENACIA
MDCXCVI

MDCCXCVI
LITHOGRAPHIA

Justinus Martyr in Exhort. ad Græc. circa Finem non im-
 merito duos Antiquissimos Græcorum Philosophos lau-
 dat, Acmonem & Mercurium : Illum, quod in suis de
 DEO Libris πᾶν γενοφον DEUM appellaverit; Hunc verò,
 quod clarè & manifestè dixerit; Θεὸν νοῆσαι μὲν ἴσθι χαλεπὸν,
 φράσαι δὲ ἀδύνατον, ὡς καὶ νοῆσαι δυνατόν. Hoc est : DEUM
 Intelligentiâ comprehendere difficile est, eloqui autem impos-
 sibile, etiam Ei, Cui ipsum Nosse est possibile. Hic autem
 Veterum citat Testimonia, non quasi nulla detur de DEO,
 Divinisque Attributis Notitia, sic enim contra Seseipsum
 disputaret Justinus, cum de Veri DEI Notitia in his agat O-
 rationibus, & ex his, atque similibus Philosophorum Senten-
 tiis vulgatam DEORUM confutet Multitudinem, quam
 Poëtae hactenus sibi finxerunt : Sed ut certos Divina Noti-
 tia, & præprimis Rationi Humana, idem Vir ponat Cancel-
 los. Ita etenim Acmon in suis de DEO Libris dicitur e-
 gisse, ut tamen DEUM πᾶν γενοφον, seu prorsus occultum no-
 minare potuerit. Trismegistus pariter hoc pacto de DEO
 multa disseruit, quod modò & comprehensionem, & plenariam
 explicationem negavit. Eapropter in hoc imitari Philosophos
 necessum habebimus, & cum hactenus Communia DEI At-
 tributa sint exposita, quæ modò sub Entis ratione, modò
 sub Spiritus Notione respiciebantur, de Propriis DEI Pre-
 dicatis, Ipsi immediate convenientibus, & nullum cum
 Creaturis commercium habentibus, levia solum propo-
 nemus. Talia verò sunt vel Negativa, vel Positiva; Illa In-
 finitas, Immensitas, Immutabilitas, & Immortalitas dicuntur.
 Hæc Omnipresentia, Omnipotentia, & Æternitas vocantur.
 De Prioribus duobus Negativis Propriis DEI Predicatis hęc
 locò verba faciemus, quantum à nobis fieri poterit. DEUS,
 qui in Essentia Summè Infinitus, & Immensus, Nobis concedat
 Vires, ut Vera approbare, atque Falsa improbare queamus!

THE SIS I.

Infinitas Essentiae Divinae citra omnem dubitationem existit, importatque *finium omnium carentiam*, seu *absentiam*. Sic nullum inter Creaturas datur *Infinitum Ens*, sed solus DEUS *Infinitus* dicitur.

§. I.

DEUM *Infinitum* tria ostendunt Argumenta: (a) *Necessaria DEI Existentia*: Quod *absolutè*, & *summè necessitate* existit, illud *essentialiter Infinitum* dicendum. *Absolute*, & *summe necessarium* enim est *à se, efficienter, ex se, materialiter, per se, formaliter, & propter se, finaliter*, h. e. Sibi omnia. Tale *Ens* nullibi terminatur, & ad aliud nunquã determinatur. Hinc pro *Infinito* est habendum. Atqui DEUS *absolutè*, & *summa necessitate* existit: Quia omnia *necessaria* à DEO suam habent originem. Oportet igitur DEUM esse *summè necessarium*. (b) *Natura, & Conditio Infiniti*: *Infinitum* dicitur, quod caret omnibus *Essentiae terminis*. Hoc autem de DEO certissimum est. Si enim *termini Essentiae Divinae* convenirent, illi vel *ab intra*, vel *ab extra* suam originem haberent. Non *ab intra*, quia sic *Essentia Divina composita* esset, quod alibi refutatum dedimus. Non *ab extra*, quia DEUS aliàs ratione *terminorum Causatum* fieret, acciperet *aliquid à Creaturis*, *Imperfectionem* admitteret. Quae pugnans cum *Summa DEI Perfectione*, atque *Simplicitate*. (c) *Via Negationis*. Nam omnia, quae *Finitudinis* in Creaturis *Causae* videntur existere, ita *Divinae Essentiae inimica* sunt, ut nullò modò DEO assignari queant, *Causae*, quare *Creaturae Infinitae* non esse possint, sed *verè finitae* sint, sequentes dicuntur: Quia tales *Dependentia* suã gaudent, quae cum *Infinitate* coniungi non debet. Deinde, quia *Imperfectio* in Creaturis locum invenit; nam deest illis *Gradus Perfectionis* in genere *Entis*,
ut in

ut in *Elementis Vita*; in *Plantis Sensus & Motus*; in *Brutis Animalibus Intelligentia*. Quales *Gradus à DEO* non inconvenienter removentur, nec ullum *Finem* consequuntur. Ut sic ultima verba *Theseos* quoque pateant.

§. II.

Plures hic *Contradicentes* habemus, qui *Attributum* hoc labefactant, vel simpliciter negant. *Papistæ Mariam Virginem, Matrem CHRISTI*, communiter super *Angelos, & alias Creaturas*, imo *DEUM Ipsum* evehunt, sicque *Isti* consequenter *Infinitatem DEI* tributam volunt. *Socinus* dicit, se non habere, quid hac de re, num *DEI Essentia Infinita* sit prorsus, statuat. *Fragm. Catech. Fol. 68. Moscorov. in Appendice de Baptismo contra Smiglec. pag. 30. pyrrhonice* de eo disputat. *Crellius* in suo *Tract. Infinitatem DEI* prorsus omittit. *Smalciius* contra *Frantz. pag. 3. negat Infinitatem Divinae Præsentie, Potentis, &c. Remonstrantes* illius quoque mentionem non faciunt. *Vorstius Lib. de DEO & Attrib. Divin. pag. 338. in-*ficiatur, *Essentiam Divinam Infinitam* esse. Verùm omnibus *istis* non solum *Orthodoxorum Patrum*, sed & *Saniorum Gentilium Sententiæ* opponendæ sunt, nec non *Dicta Sacrarum Litterarum* objicienda. Valet autem *Affertio* nostra de *Essentia Prima*, omnem finitam *essendi rationem* respiciente, non orta, quæ per se non adest semper, ubi operatur. *Essentia* non *Create*, sed *Increate & Præsentia* intelligenda venit, respectu *cujus Operationes Essentiales, & quidem immediate, à Causa Prima* eduntur. Ex quibus colligitur, falsam *Opinionem Adversariorum*, potissimum *Vorstii*, hîc locum non habere.

THESIS II.

Essentia Infinitatis DEI explicatur per *Descriptionem*, quòd sit *Essentialis DEI Proprietas*, quæ *DEUS*, nec *tempore*,

A 3

nec

nec locò, nec ullà alià re finiri potest: Sed *Essentià Suà, & Naturà, actu, simpliciter, & per se Infinitus, Æternus, Immensus, & Incomprehensibilis esse significatur.*

§. I.

Dicitur *Infinitas Essentiæ Divinæ* locò Indeterminati Conceptùs *Proprietas DEI*. Nam *proprium Attributum DEI* est, & nulli *Creaturæ* competit. Omnia, quibus præter *DEUM Infinitas* tribuitur, non *simpliciter, & actu, sed secundum quid, & potentià* sunt *infinita*. Vid. Thom. Part. I. Quæst. VII. Artic. II. Quæ *Proprietas Essentialis*, quia non nisi *essentialiter DEUS* dicitur *Infinitus*. *DEUS à Se, & per Se, & per Suam Essentiàm Divinam Infinitus* est. Locò Determinati Conceptùs ponuntur Duo: *Materiale, & Formale*. Illud est *Ipsè DEUS, sive DEI Essentià*. Hinc *DEUS* negatur *tempore, locò, &c. finiri: & Essentià ipsa dicitur Infinita*. Hoc illustratur verbis, tum *negativis*: (a) Quòd *DEUS tempore* non possit finiri, quia ratione *Durationis* verè *Infinitus* est, & *actu ipsò Æternus*. (b) Quòd *locò* non possit finiri, quia *DEUS* non est *Circumscriptus*, nec ullum occupat *Spacium*, sed extra omnia positus est *Spacia*. (c) Quòd *nulla alià re* possit finiri. Quia *Ipsè DEUS* est *Finis Omnium, Basis, & Fundamentum omnium*. Tum *positivis*: (a) Quòd *DEUS Essentià, & Naturà Suà* sit *Infinitus*. Quia omnia in *DEO* sunt *Ipsissima Essentià*, nec *Infinitas* in *DEO* est *Accidens*. (b) Quòd *actu, simpliciter, & per se, DEUS Infinitus* sit. *DEUS Sibi Ipsi, omnibusque Attributis Suis* est *Actus Purissimus*, nec ulla in *Ipsò Potentialitas* invenit locum. Totus est, & *essentialiter DEUS Infinitus*, neutiquam ergo *secundum quid DEO Infinitas* tribuenda. (c) Quòd sit *Infinitus, Æternus, &c.* Unum alteri solet *Veritatis, & Facilitatis splendorem conciliare.*

§. II. Con-

§. II.

Contra Descriptionem *Infinitatis*, ut *Proprietatis Verae*, *Divinae Essentiae*, *Zeno*, natione *Cyprius*, ex *Cillio*, *Oppidò Græcanicò*, *Fundator Stoicorum*, aliquid attulit, de quo apud *Autores* relatum legitur, eum *DEUM* dixisse *Globosum*, & non *fractum*, neque tamen *Infinitum*. Quapropter nec simul *Descriptionem Ejusdem Attribute* approbavit. Pejores *Istò Sociniani* dicuntur, de quibus *vid. Thes. I. §. II.* Qui enim contra *Existentiã Infinitatis* pugnant, illi & *Essentiã Ejusdem* labefactare audent, cum ea se relativè habeant. Ideò, quòd *sublatò unò Relatorum*, tollatur & alterum. Pecant hìc simul *Isti*, qui *Intemporalitatem* in dubium vocant, vel *prius*, vel *posteriorius* *DEO* tribuunt, sicut hac de re postremum circa *Materiam de Æternitate DEI* agemus. Ut aliarum absurdarum *Collectionum* hìc mentionem non faciamus, quæ ex hujus *Proprietatis Descriptionis* labefactatione ortum suum trahunt. Verum *Istarum Sententiarum* explicationem meliorem, & applicationem apud *Theologos* invenire possumus, quibus & *Philosophi orthodoxi* assensum præbent.

THESIS III.

Infinitatem DEI per se *Primum Conceptum DEI* sensu philosophicò *Quidditativum* constitui asserimus, prout *Spiritualitatem*, quoad *Essentiã*, ad *Communem Conceptum* pertinentem supponit.

§. I.

Conceptus Primus Quidditativus in *DEO* neutiquam *Objectivus* est, sed *ex parte nostri Intellectus* in considerationem venit. *Talis a. locò Differentiæ Specificæ* substituitur, in quantum à *Philosophis* nõ in *propria*, & *Logica Definitione*, qualis respectu *DEI* neutiquam apud *Philosophos* asserenda venit, sed *analogica*, & *transcendentali*, seu *aliquali Descriptione DEI*,
poni

poni solet, atque *Proprius DEI Conceptus* nominatur. Ab Aliis ergo philosophico more *Infinitas DEI* iste *Conceptus* recte dicitur, id patet (a) *Relatione Essentie ad Infinitatem*. Quapropter in hoc relationis positu *Infinitas Conceptus Primus DEI Quidditativus* genuinò modò dicitur, licet alio sensu inter *Attributa DEI*, ut *Conceptus Secundus*, recensatur. (b) *Conjunctione Materialis, & Formalis Conceptus: Quales* simul in unoquoque *Attributo specialiter* occurrere solent. Quidni *Infinitas DEI materialiter* pro *Conceptu DEI Quidditativo Primo* haberi queat, licet *secundum quid* ut attributū intelligenda veniat. (c) *Descriptione Infinitatis, quæ soli DEO propria, & cum ipsa Essentia Divina reciprocatur*: Ita tamen, ut & *reliqui Conceptus absoluti* sub isto *Conceptu* comprehendantur. Sic loquimur cum *Philosophis*, sicut possumus, non sicut volumus.

§. II.

Nobis contrariantur *Plurimi*, qui *Conceptus* alios *Quidditativos DEI* asseruerunt, nec *secundum quid Infinitatem DEI Conceptum Primum DEI Quidditativum* constituerunt, sed Eam in totū, ut talem *Conceptum*, rejecerunt. Nos autem cum illis *Philosophis* facimus, qui nostram *Assertionem* approbarunt. Nec tamen *istis* contradicere cupimus, qui *Conceptum Quidditativum Independentiam* dixerunt, quæ soror velut *Infinitatis DEI*. *Distinctionem* hîc insinuatæ nostræ sententiæ adjicim⁹, inter *terminum Conceptus Quidditativi ἀκριβῶς, & παχυλῶς* acceptum, hòc modò, non illà *Prædicatum, Infinitas* videlicet, DEO competit, in comparatione ad reliqua *Divina Attributa*. Id *Philosophi Orthodoxi* cum nonnullis *Theologis* voluerunt. Præterea distinguendum inter *Conceptus Quidditativi φύσιν, sive Naturam, & χρῆσιν, sive Usam*. Illam relinquimus *Theologis*, hunc solum *Philosophis* tribuimus. Hòc locò potissimūm *Christoph. Gillii,*

Gillii,

Gillii, Lusitani, Jesuita, Lib. II. Commentat. de DEO, Tract. I. Cap. XIII. seq. Sententia refutanda erit, qui omni ex parte rejecit nostram Opinionem, neque distinxit inter *materialitatem*, & *formalitem* rei, qualis *Distinctio* verò hac in materia notatu & applicatu digna est.

THESIS IV.

DEUS, ut in *Essentia Infinitus*, ita *Infinitus* quoque *Suâ Adessentiâ in Omnibus Ubi* est. Inde oritur *Immensitas*, quæ soli DEO *propria Affectio* nuncupatur, & ipsi *Infinitati* contradistincta manet.

§. I.

Attributum istud, quod *Immensitatis* nomine venit, existere, patet præcipuè ex *Attributi* jam considerati, nempe *Infinitatis*, *Existentia*. Si enim DEUS non esset *Infinitus*, nec jure *Immensus* vocaretur. Speciales Rationes alias adducimus: (a) *Infinito Enti per se* denegatur *Actus*, *Potentia*, & *Aptitudo alicubi, ad modum Creature, existendi*, cum DEUS nunquam à quadam Re mensuretur in *Præsentia*, nec mensurari queat, quidni DEUS *Immensus* esset. (b) Magna in DEUM *Imperfectio* caderet, si *Ille* in *Finito Spatio* existeret, locòque mensurari posset. Unde interminabili *Spatio adesse* dicitur, juxta vulgarem loquendi modum, *eminenti scilicet ratione*. Et sic *Immensitatis* *Existentia Vera* manet. (c) DEUS *Suâ Ubiquitate* replet omnia, vel *adest omnibus Ubi*, & hòc modò nullas temporum *Differentias* admittit, nisi *eminenter*. Hàc ratione etiã *Immensitas* DEI confirmata redditur. Dari autem inter *Infinitatem* & *Immensitatem* DEI *formalem Distinctionem*, nullum dubium, licet suò modò secundum B. DN. D. Kloz. in *Theol. Nat. Diss. XI. pag. 602.* talia dicantur *Synonyma Grammatica*. Idem verò notat, distinguere hæc ut *Antecedens* & *Consequens*, quando in *Principio*

B

cita-

citatae Disputationis inquit: *Ex Infinitate fluit Immensitas.*
Imò ex Descriptionibus formalibus horum Attributorum,
distinctio quoque formalis erit colligenda.

§. II.

Nos contradicentes habemus *Adversarios, Infinitatem*
DEI in dubium vocantes. Errorem quoque propugnantes,
DEUM non esse *ubique Praesentem, nec Immensum, sed in de-*
terminato loco existere. Qualis à *Justino Platoni* tribuitur.
Inter *Recentiores, & qui in Christianorum Numero* videri
volunt, recensentur *Conradus Vorstius, Lib. de DEO & Attrib.*
Divin. pag. 234. Calvinus ad Loc. Jer. XXIII. 23. Hinc natae
sunt aliorum *Calvinianorum* Sententiae, inficientes *Immen-*
sitatem DEI. *Arminiani, edentes Disputationes Scepticas,*
Conf. Helvet. Confess. p. 16. Sociniani ap. Smalz. contr. Franz.
p. 4. Socin. in Defens. Animadv p. 46. De quibus generatim
dicimus, eos confundere *Immensitatem* cum *Omnipraesen-*
tia, quae non formaliter eadem; ipsam Praesentiam cum Prae-
sentiae modo. Nec non hinc allegandus *Augustinus Eugubinus,*
asserens: *DEI Messè in solo Caelo per Essentiam, Ubique dun-*
taxat per Cognitionem, & Operationem. Verùm ab isto ea
malè separantur, quae non sunt separanda, sed potius con-
jungenda. Excusamus hoc locò *Aristotelem, qui nonnullis*
modis loquendi videtur Immensitati DEI contradicere.
Vid. Clasen. Lib. I. Theol. Nat. Cap. XXXVI. p. 174. seqq.

THESIS V.

Immensitas DEI est *Attributum* Essentiale, per quod *Es-*
sentia Divina nullà Magnitudine, Mensurâ, vel Locò finiri,
determinari, aut mensurari potest: Sed *Dimensionis, & Cir-*
cumscriptionis, à Quantitate, Locò, vel ulla alia Mensura pro-
venientis, expers esse significatur.

§. I. Im-

§. I.

Immensitas est Attributum; quod Conceptum Divinae Es-
sentiae Inadequatum vocamus, qui reliquis *Attributis Divi-*
nis proprius. Sed *Attributum DEI* eandem esse, constare
 potest (a) *Ex eminentissima DEI Essentia*. DEUS enim, cum
 sit *Eminentissimus*, ideo & *Immensus* vocatur. (b) *Ex Perfe-*
ctionis Divinae Excellentia: DEUS namque *summè Perfectus*;
 Ergo non patitur *Perfectionis Suae Mensuram*. (c) *Ex Sum-*
mà DEI Simplicitate. DEUS est *summè Simplex*, eamq; ob
 causam *nihil in Se continet*, quod *mensuram* admittere po-
 test. Talem *Attributum Essentiale* meritò dici, confirmatur:
 (a) *Quia Immensitas Attributum non Externum, sed Inter-*
num est, & sic Essentiam ingreditur. (b) *Quia Eadem non Re-*
spectivum, à quodam ad Creaturas respectu dependens, sed
Absolutum Attributum, Essentia Divina solum competens.
 (c) *Quia non Attributum Accidentale, cum non induat Na-*
turam accidentalem; Ergo Essentiale. Tertium non datur.
 Est enim inter *Essentiale, & Accidentale* immediata, & qui-
 dem contraria, *Oppositio*. Jam positò unò *Oppositorum,*
Contrariorum in certo *Subjecto*, negatur *alterum*. Hæc o-
 mnia ad *Conceptum* Contrahibilem *Descriptionis Immensi-*
tatis DEI referuntur. Reliqua verba *Conceptum* Contra-
 hentem *Ejusdem*, qualis *adsquatus*, declarant. Hic verò
 Duo respicit, *Materiale & Formale*; *Illud est ipsa Essentia,*
Divina, quæ Immensurabilis, quoad Actum Primum, & Im-
mensa, quoad Actum Secundum, appellatur. Hoc, propter
intellectus nostri imbecillitatem, multis verbis exponitur:
 Quòd DEUS, quæ *Essentiam Suam, Magnitudine* mensurari
 nequeat, quia *Maximus equidem Virtute, sed non Magnus*
mole. Neque *Locò*. *Locus* enim est *Affectio* propria *Cor-*
poribus Naturalibus. Neque *Mensurâ*. Aliàs DEUS esset
Mensuratum, quod absurdum. Quapropter omnis *Dimensio,*

& Circumscriptio jure à DEO removetur, ut Spiritu Incorporeo, & Infinito, qui talis rei expers esse dicitur. Talia siquidem in DEO Imperfectionem ponunt.

§. II.

Contra *Thesin* istam errant in Defectu *Aureolus* in 1. *Dist.* XXXVII. *Quest. Unic.* & *Smisingius* Tom. I. *Tract.* II. *Disp.* V. *Quest.* I. putantes: *Immensitatem* DEI consistere formaliter in *Negatione Distantiæ* à Rebus Creatis. Verùm *Immensitas Divina* non aliud est, quàm *Infinita DEI Magnitudo*. Nec tamen *Occam* cum quibusdam *Nominalibus* rectè constituit *Immensitatem* DEI in Denominatione positiva extrinseca à *Loco* vero, vel imaginario, cùm eadem appelletur *Attributum DEI Intrinsicum*. Adeoque sic hi errorem in Excessu talem committere videntur. Neque procedit *Thomistarum*, & multorum aliorum, ut *Goneti*, *Job. à S. Thoma*, *Arnu*, similiumque Autorum *Opinio*, qui *Formalem Rationem* hujus *Attributi* in *Voluntatem Divinam* refundunt, atque in *Operatione* ponunt. Siquidem *Omnes Isti* *Petitionem Principij* committere solent.

THESIS VI.

Immensitas DEI, cujus *Consequens* Verum & Immediatum *Potentia* illocaliter *adessendi omnib9 Ubi*, *Actum Naturalem Ubiquitatis* comprobatur, cùm formaliter ponatur omnimodam *Interminabilitatem* non *vs Esse* absolute, sed *vs Adesse*, vel respectu *Spatij Creati*.

§. I.

Convenientia inter *Immensitatem*, & *Adessentiam* DEI in omnibus *Ubi*, sive *Ubiquitatem* demonstratur: (a) Quia *Immensitas* istam *Ubiquitatē* includit; & sic is, qui non *Immensus* est, non *ubique* solet esse. (b) Quia *Essentia Divina Immensa* in seipsa simul *intrinsicè præsens*, quæ *Præsentia Repletiva*

tiva

tiva ad Ubiquitatem DEI spectat. (c) Quia *Ubiquitas* in Im-
mensitate DEI fundatur, adeoq; hæc *relative* considerantur.
Relata verò simul intra statum relationis à Metaphysicis
dicuntur Naturâ. *Gentiles* hoc ipsum annotarunt, DEUM
que *Sphæram* vocarunt, quæ circumcirca rotunda est, neque
Principium, neque Finem habens, nullâ sui parte incipiens,
nullâ desinens. Qualem loquendi modum *Hermes Trisme-*
gistus accommodavit. Vid. *Suarez. Disp. XXX, Sect. VII, Num.*
XLIX, p. 59. Si illud de *Gentilibus* verum, multò magis à
nobis *Identitas* Immensitatis, & Ubiquitatis materialiter
asserenda erit. *Differentia* horum terminorum, quâ *forma-*
lem distinguendi modum, à nobis quoque insinuanda, vi *Op-*
positionis, erit, & quidem (a) *Immensitas* est *Antecedens*, & *U-*
biquitas *Consequens*. (b) Quemadmodum *Spatium* aliud
Conceptibile, seu *Intentionale*; ita & *Ubiquitatis* *Notio* $\xi\epsilon\omicron\upsilon\nu$
ad utrumque simul *formaliter* infert, adeoque plùs videtur
denotare, quàm *Immensitatis* terminum. (c) *Immensitas* de-
notat solùm Interminabilitatem, seu excludit omnem Po-
tentiam terminandi, ratione *Spatij Infiniti*; sed *Ubiquitas* nō
solùm Interminabilitatem, verùm & omnem terminatio-
nem *actualem* ad certum *Spatium Finitum* negat.

§. II.

In Excessu *Papistæ* errantes censent, Angelos, Spiritus *Fi-*
nitos, & Sanctos, *Indeterminatum* *Ubi* possidere, *ubique loco-*
rum præsentem adesse, *precesque Supplicantium* locis omni-
bus audire, & *ipsis* subvenire posse. Sic Immensitatem DEI
simul labefactant. *Sociniani* v. peccarunt in Defectu, DE-
UM nobis præsentem esse Naturâ suâ, vel *ubique* esse substan-
tialiter, negantes. Conf. *Soc. Disp. cum Franc. Dav. Cap. IV.*
Smalz. contr. Frantz. p. 3. Quorum Sententias facili negotiò
refutatas dare possemus, si nostri esset instituti. E *Gentilibus*
Ægyptij, DEUM in Cœlesti Domicilio, & in proprio Loco es-
se, di-

se, dicentes, teste *Cōileg. Cōnimbric. Lib. IIX. P̄bys. Quæst. I. Art. I. Averroës Diss. XIV. Metaphys.* Cogitationem eorum, qui existimant, in omnibus rebus *DEUM* esse, puerilem esse affirmavit. E *Judeis Nonnulli Talmudistarum, DEUM* templo Hierosolymitano includentes. Teste *Hilario, Patre Sancto, Lib. II. de Trinit.* Ut de *Aliis* nunc verba non faciamus. Hic *Distinctiones* retinebimus inter *Præsentiam Substantialem*, & *Virtualem*, quæ quid saltem per *Virtutem à se diffusam* alteri *præsens* existit. *Generalem, sive Universalem*, & *Specialem, sive Particularem*; *Priora, non posteriora, Distinctionum Membra* hōc locō admittimus.

THESIS VII.

Immensitas, in vero sensu *DEO* accommodata, non *Adefsentiam Extensivam, Expansivam, Diffusam, & Localem*, neq; *Conclusivam, & Circumscriptivam*, neq; *Commixtivam* infert.

§. I.

Negativam comprobare cupimus (a) *Ex Conceptibus imperfectis*, quales dicuntur: *Extensio, Expansio, Diffusio, Localitas, Conclusio, Circumscriptio, Commixtio*. Hi enim & in *Sensu abstracto, & concreto*, ad *Ens Finitum, & Dependens* modō convenienti referri debent. (b) *Ex Eminentiā soli DEO propria*. Talis omnes modos in *Thesi* adductos respuit, cum in *DEUM* nulla *Qualitas*, nec ullum aliud *Accidens* cadere soleat. (c) *Ex Terminorum genuina Declaratione*. Quæ *Extensionem, DEUS* est *latissimus sine latitudine*, cujus *Latitudo eminentis*. Quæ *Diffusionem*, cum nec per modum *Aëris*, nec per modum *Aque*, neque per modum *Luminis*, nec aliō *physicō* modō, vel *mundanō*, *DEUS* *Infinitus* diffundatur; sed *eminenter* tum *Potentia*, tum *Præsentia* sit ubique *Diffusus*. Ratione *Localitatis*, *DEUS* *eminenti* modō rursus *Ipsē Locus* appellatur. Quemadmodum *Gentiles*,

tiles, & Alii Patres, locuti sunt. Quà Conclusionem, DEUS non est in Mundo, ut concludatur à Mundo. Quà Circumscriptionem, DEUS non circumscribitur locò, uti Corpora Naturalia. Quà Commixtionem, de qua idem iudicium ferendum. Aër omnibus Corporibus commixtus, aut immixtus. DEUS verò Commixtionis omnis expers.

§. II.

Contra Nos *Veteres Audeani, & Anthropomorphyte* pugnam instituerunt, DEO, ut *Corporeo Enti, Presentiam Corpoream, extensivam, expansivam, quoad Membra Humana, appropriantes, apud Origen. Homil. in Genes. Qui tamen in Eum sunt injuriosi, atque sanæ rationi contrariantur. Imò DEO talia abusive, non propriè, tribuenda veniunt. Nec tñ. Opinio ista erit hìc defendenda, DEUM esse Ubique, ut Locatum in Loco; siquidem DEUS in omnibus rebus existit, ut sunt Entia, non ut Loca. Hanc Opinionem itaque refutatam dedit Paulus Voëtius in Theol. Nat. Reform. p. 266. Frustrà Alexander quidam Epicureus DEUM Materiam esse dixit, ut Albert. Lib. I. Phys. Tract. III. Cap. XIII. refert. Et Pererius dict. loc. Qui ad Extensionem respiciunt, eamque DEO tribuere audent, cùm solis Entibus Materiâ gaudentibus ista solum propria sit, & esse debeat.*

THESIS IIX.

DEUS quidem actualiter, & de factò, est extra Mundum, non tamen Spatiis Imaginariis presens, quæ Spatia mera figmenta sunt, si à nobis loqui volumus. Sunt ergo Rationis Ratiocinantis, nulla fundamenta in re habentia, & à solo nostro Intellectu dependentia.

§. I. Pro clariore totius difficultatis expositione istud Assertum ponimus, nec sine causa, quod confirmatum damus (a) Comparatione *Æternitatis, & Immensitatis*: Sicut se ha-

se habet *Æternitas* ad *tempus*, ita se habet *Immensitas* ad *Spatia Imaginaria*: Jam *Æternitas* excedit omne *tempus*, quod *Imperfectum* quid importat, ratione *Subiecti*, cui accommodatur. Ergo & *Immensitas* excedet omne *Spatium Imaginarium*, vi relationis, qualis inter *Æternitatem*, & *Immensitatem* verè existit. (b) *Acceptione Spatii Imaginarii*. Siquidem *istud* ab *Intellectu* fingitur, & sic in sola *Potentia* fingentium existit. Non ergo *revera rationis ratiocinatio* esse potest, cum præter *Intellectus fictionem* nihil sit tale *Spatium*, in quantum ut res considerari debet. (c) *Applicatione Præsentia Repletiva*, DEO soli propria. Illa connotat *Existentiã Loci*, seu *Spatii*, cui res sit *præsens*. DEO ultra *Cœlos nullum Spatium* coëxistit. Non enim *Reale*, ut omnes fatentur; nec *Imaginarium*, quod à Solo *Intellectu humano* pendet. Quapropter *Spatia Imaginaria* omnia sunt removenda à DEO, præcipuè, quia illa ab *Adversariis*, ut *Entia Rationis*, fundamentaliter solùm, non autem formaliter, considerari solent.

§. II. *Due* potissimum dissonantes *Sententiæ* à nobis adduci debent; Altera *Adversariorum* in defectu peccantium, quando inficiantur, DEUM esse actu extra Mundum, ut Vasquez. I. Part. Disp. XXIX. Moncaus, Disp. I. Cap. II. Tannerus Disp. II. Quæst. II. Dub. IV. Mœratius Disp. III. Sect. I. Quibus accedunt *Arminiani*. Conf. *Apologia contra Censuram Leydens.* Cap. II. pag. 42. Altera in excessu errantium, qui *Spatia Imaginaria* defenderunt, ac si sint vera *Spatia*. Ut *Molinus Part. I. Quæst. II. Artic. I. Disp. III.* *Gregorius de Valentia Disp. XI. Quæst. II. & Alii.* Vid. *Refutatio apud DN. Jäger. in Theol. Nat. pag. 108. seqq.* Coronidis loco adjicimus *Versiculum*:

SOLUS UBIQUE DEUS nullò Discrimine RERUM.

CUI SIT HONOR ET GLORIA,
IN SECLORUM SECLA!

Coll. diss. A. 25, misc. 33